Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25874
Copyright: Admont, Benediktinerstift

obscuris sententiis protulerunt. Et hi erant
ephratei. i. frugiferi. quia fructum bone
operationis in semetipsis et maliis domino
offerre laborabant. Ingressique regionem
moabitidem. morabantur ibi. Cuncti denique
qui post lapsum primi hominis regionem
moabitidem. regionem inquam tribulationis
ingressi fuerant. diutino confecti senio.
post longos uite labores. longas hic pa
tiebantur moras. Et mortuus est heli
melech maritus noemi. remansitque ipsa
cum duobus filiis. Mortua denique et cessan
te lege naturali. remansit noemi. que in
terpretatur pulchra. i. ecclesia primitiua. cum filiis
suis. obseruans que ex lege didicerat et
prophetis. Qui acceperunt uxores moabi
tidas. quarum una orpha. altera RUTH
uocabatur. Per orpham que ceruix interpre
tatur. synagoga accipitur descen
dens de semine patriarcharum. que ideo
ceruix. quia semper dura ceruice et in
domabili corde spiritui sancto restitit. et sola
legis litteram attendens. uiuificantem
spiritum sequi contempsit. Per RUTH gen
tilitas. que festinans uel deficiens dici
tur eo quod unitatem fidei non agnouit. et de
ficiens in bonis. ad omnem infidelitatis
errorem. tota festinantia properauit. Uel
ideo deficiens. quia in salutari suo quod
est christus anima eius defecit. uel ideo festi
nans. quia post tenebras infidelitatis.
ad uerum lumen quod est christus festinauit.
SEQUITUR. Manseruntque ibi. x.
annos. et mortui sunt ambo chelion
et maalon. Omnis quippe posteritas
ade mansit in peregrinatione quasi. x.
annis. dum totis sensibus exterioribus. siue
interioribus, prona erat in malum. Mortuique
sunt chelion et maalon. quia legem et
prophetiam quam obseruare debuerant.
omnino in semetipsis extinxerant. et
remansit mulier. i. ecclesia primitiua. or
bata et destituta. omni gratia legis et
prophetarum. Que sic uiduata et destitu
ta surrexit. surrexit dico per fidem. spem. et
dilectionem. ut in patriam pergeret. cum
utraque nuru sua. spem habens quandoque
futuros. de utroque populo. iudaico scilicet
et gentili. qui ad fidem christi conuertendi es
sent et saluandi. Audierat enim quod re
spexisset dominus populum suum. et dedisset
eis escas. Nouerat enim quod uerbum illud
quod erat in principio apud deum. quandoque
uideri deberet caro factum. et corpus
ac sanguinem suum in escam fidelium
transferret animarum. Egressa itaque noemi.
primitiua scilicet ecclesia. de loco peregrinationis.
i. intendens ad superna. dixit ad utrasque
nurus. synagogam uidelicet et ecclesiam.
que ex gentibus erat futura. Ite inquit
in domum matris uestre. ac si dicat. Ite in
domum. i. per spem sursum tendite. ubi
mater uestra est. celestis dico ierusalem. que est
mater omnium nostrum. De qua dauid in
psalmo. In domum domini letantes ibimus.
Faciat dominus uobiscum misericordiam. sicut fecistis
cum mortuis et mecum. det uobis in
uenire requiem. in domibus uirorum quos
sortiture estis. Uir ecclesie ex gentibus christus
erat. qui reuera expectatio gentium
fuit. per quem facta est gratia et ueritas. Uir
uero synagoge moyses. per quem lex tantum
data est non gratia. Faciat inquit dominus
uobiscum misericordiam. i. mittat uobis filium
suum. qui ex peccatoribus efficiat iustos.
tos. ex dampnandis remunerandos.